debemus. etiam si clausus esset. Patet et neglegimus. mittamus oculos fidei in mundum universum. Consideremus quanti peccatores diebus ac noctibus per lamenta in hoc fonte misericordie lavantur. quanti post tenebras ad lucem. quanti post maculas ad munditiam redeunt. Curramus cum talibus post mortis tenebras ad aquam vite. consideremus quantum peccavimus. quantum cotidie peccamus. atque ut appareamus mundi post culpas. lavemus holocaustum. Ad hec agenda adest gratia redemptoris nostri. qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. Amen. EXPLICIT OMELIA XVIIII. INCIPIT XX.

QUIBUS MODIS DE MYSTICIS SENSIBUS Hezechiel propheta loquatur. qui ipsa etiam hystorie verba vix capimus. Ecce etenim dicit. Et in vestibulo porte due mense hinc et due mense inde. ut immoletur super eas holocaustum. et pro peccato et pro delicto. et ad latus exterius. quod ascendit ad ostium porte que pergit ad aquilonem. due mense. et ad latus alterum ante vestibulum porte. IIII mense hinc. et IIII mense inde. Per latera porte VIII mense erant. super quas immolabant. In quibus videlicet verbis. magna caligo dubietatis oboritur. utrum hec de una porta qualibet an de duabus aut singulis portis dicantur. Sed dum quaterne mense per latera describuntur. ac per modum in summa conclusionis dicitur. VIII mense erant super quas immolabant. patet quia hoc specialiter non de singulis portis quas superius descripserat dicat. Quoniam si porte sex superius enarrate quaternas mensas per latera haberent simul omnes non VIII. sed XL et VIII dicerentur. Rursum si hoc de una dicat. magno obstaculo nostra intelligentia reverberatur. Quod post descriptum porte vestibulum. ubi due mense hinc et due inde esse narrate sunt. adhuc ad latus exterius quod ascendit ad ostium porte que pergit ad aquilonem. due mense esse memorantur. atque subiungitur. et ad latus alterum. ante vestibulum porte due mense. Sed si intra vestibulum porte hinc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0352